Horum nunc tibi exempla quedam ponemus perque facile tibi patebit via ad totam hanc considerationem. Sic in consecratione aque commemoramus, quomodo Deus locauerit firmamentum in medio aquarum, quomodo in Paradiso Terestri locauit fontem aquarum ex quo per quatuor flumina sacra rigatur uniuersus orbis terrarum. Item quod fecit Instrumentum sue Iustitie in distructione Tyrannorum in Diluuio gnāli super omnem terram, et in distructionem exercitus Pharaonis in mari rubro. Item quod eduxit Populum suum siccis pedibus per medium maris, et per medium Iordani, et quomodo miraculosè eduxit aquam de petra in deserto, et eduxit fontem aque uiue à dente molari maxille asinine ad preces Sansonis, et innumeranda insuper sunt d. nōia ad hoc conformia, ut puta quod Deus sit fons uiuus, aqua uiua, flumen misericordie.

Sic in consecratione Ignis commemoramus quomodo Deus creauit Ignem Iustitie sue Instrum in Peccator. uindictam, et expiationem. Item quomodo Iudicium precedere debet uniuersa mundi conflagratio. Item quomodo Deus apparuit moysi in rubro Ignis ardentis Item quomodo precessit filijs Israel in Columna Ignis.